

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Prot. n. 37766/05 CA. ILERDEN. Iurium. (Exc.mus Episcopus Ilerdensis-Congregatio pro Episcopis)

DECRETUM DEFINITIVUM

IN NOMINE DOMINI. AMEN

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno III, die 28 aprilis 2007, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Augustino Card. Vallini, Praefecto ac Ponente, et Zenone Card. Grocholewski, Exc.misque ac Rev.mis D.nis Iosepho Mercieca, Francisco Coccopalmerío, Henrico Mussinghoff, intervenientibus Cl.mo G. E. Villa Avila, utpote Exc.mi Recurrentis Patrono, Rev.mo E. Baura, tamquam Patrono Congregationis pro Episcopis, et Rev.mo I.P. Montini, Promotore Iustitiae Substituto, in causa de qua supra, hoc definitivum tulit decretum.

I. Facti Species

1. Decreto diei 15 iunii 1995 Congregatio pro Episcopis a dioecesi Ilerdensi seiunxit integrum territorium paroeciarum in regione autonoma Aragonensi exstantium illudque dioecesi Barbastrensi Montisonensi adnexit; praefatum decretum insuper statuit: «Documenta et acta praedictarum paroeciarum, clericos, fideles et bona temporalia respicientia a Curia a qua ad Curiam cui nuper sunt aggregata quam primum transmittantur». Ad haec omnia perficienda eadem Congregatio Exc.mum Nuntium Apostolicum in Hispania deputavit, qui decreto diei 29 iunii 1998 inter alia statuit: «3) Que el patrimonio artístico procedente de las parroquias desmembradas, y que se encuentra actualmente en Lérida, está a título de depósito y no de propiedad, mientras la diócesis de Lérida no pruebe lo contrario en cada caso; por lo que, de ser reclamado por sus legítimos propietarios, debe devolverse». Instantia diei 7 iulii 1998 Exc.mus Episcopus Ilerdensis emendationem necnon suspensionem praefati decreti ab Exc.mo Nuntio Apostolico petiit, qui die 23 eiusdem mensis responsum negativum dedit. Verum die 7 augusti 1998 Exc.mus Episcopus Ilerdensis recursum coram Congregatione pro Episcopis interposuit, quem decreto diei 30 octobris 1998 eadem Congregatio reiecit.

2. Quod adversus decretum Exc.mus Recurrens die 21 novembris 1998 ad H.S.T. provocavit. Re rite discussa, in Congressu die 23 aprilis 2001 habito N.S.T. decrevit recursum ad disceptationem coram Em.mis et Exc. mis H.S.T. Iudicibus non admitti, utpote manifeste carentem quocumque fundamento. Die tamen 19 maii 2001 Cl.mus Exc.mí Recurrentis Patronus adversus hoc decretum querelam nullitatis interposuit, sed die 23 eiusdem mensis ipse Exc.mus Episcopus Ilerdensis litteras dedit, quibus declaravit: «decidimos aceptar la decisión de la Signatura Apostólica, [...] No deseamos que se prolongue esta situación que entorpece la buena relación que debe existir en el seno de la Iglesia». Die dein 30 maii 2001 Cl.mus eius Patronus querelae nullitatis renuntiavit, quae renuntiatio rite admissa est. Consilium autem mutavit Exc.mus Episcopus, cum die 18 decembris eiusdem anni restitutionem in integrum contra decretum die 23 aprilis in Congressu latum postularet, ad normam can. 1645, § 1 et § 2, nn. 1-2, quía «la constancia de hechos hasta ahora desconocidos y de inéditos documentos, todo ello referente a las piezas artísticas del

Museo de la diócesis de Lleida, le obliga a defender por los legítimos medios que le ofrece el derecho, el patrimonio de la diócesis».

2

Re sedulo examini subiecta in Congressu H.S.T. die 27 iunii 2002 habito, Em.mus Praefectus decrevit: «Locum in casu non esse restitutioni in integrum adversus decretum in Congressu die 23 Aprilis 2001 editum. Et amplius proponi non posse». Cui decisioni Exc.mus Recurrens non acquievit, die 26 augusti 2002 gratiam restitutionis in terminos a Sanctissimo implorans, quae litteris Secretariae Status diei 7 februarii 2004 denegata est.

3. Quoad executionem decreti diei 29 iunii 1998, Exc.mus Nuntius Apostolicus die 19 iunii 2001 Commissionem constituit, quae usque ad annum 2004 septem sessiones habuit; verumtamen ob exceptionem contra duo membra Commissionis ab Exc.mo Episcopo Ilerdensi propositam, decreto diei 10 ianuarii 2005 Exc.mus Nuntius Apostolicus in locum Commissionis nominavit Mediatorem plenipotentiarium, rectius Executorem, adiuvantibus duobus peritis a duabus dioecesibus selectis. Quam adversus nominationem Exc.mus Episcopus Ilerdensis die 7 februarii 2005 recurrit ad Congregationem pro Episcopis, quae recursum die 26 eiusdem mensis reiecit. Iterum Exc.mus Recurrens die 11 aprilis 2005 ad H.S.T. provocavit, quod die 24 maii eiusdem anni hunc quoque recursum ad disceptationem non admisit.

4. Relatione Exsecutoris accepta, Congregatio pro Episcopis die 8 septembris 2005 decretum emisit quo ad executionem deducebatur decretum Exc.mi Nuntii Apostolici diei 29 iunii 1998. Sed Exc.mus Episcopus rursus ad N.S.T. die 14 octobris 2005 provocavit, simul petens ut impugnati decreti executio suspenderetur. Die vera 23 novembris 2005 H.S.T. petitam suspensionem haud concessit et in Congressu die 27 septembris 2006 habito, re sedulo examini subiecta, decrevit hunc etiam novissimum recursum ad disceptationem coram Em.mis ac Exc.mis Patribus H.S.T. Iudicibus non esse admittendum, utpote quolibet fundamento manifeste carentem. Quo decreto die 14 octobris 2006 notificato, Cl.mus A. Gherro, Exc.mi Recurrentis Patronus, die 23 octobris 2006 recursum ad Collegium Iudicum proposuit atque die 31 eiusdem mensis Exc.mus Episcopus Ilerdensis rationes recursus exhibuit. Revocato die 16 novembris 2006 mandato Cl.mo A. Gherro collato atque ab Exc.mo Episcopo Ilerdensi Cl.mo G. E. Villa Avila novo eiusdem advocato et procuratore constituto, H.S.T. die 2 decembris 2006 eius admissionem ad casum decrevit. Exhibitis ab ipso die 18 decembris 2006 rationibus recursus, ad quas respondit Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus, nunc respondendum est ad dubium: «An decretum H.S.T. in Congressu diei 27 septembris 2006 latum reformandum sit».

5. Compositione Collegii iudicantis una cum die sessionis rite notificata, Cl.mus partis recurrentis Patronus litteris diei 10 aprilis 2007 rogavit ut, in casu Em.mus Cardinalis Praefectus modificare dignaretur constitutionem Collegii Iudicum, animadverso quod Em.mus Ioannes Ludovicus Card. Tauran iam una vice ad meritum causae suam mentem pandisset atque — modo potius confuso — quod praesertim inter inimicos Ecclesiae videri potest iustitiam in Ecclesia non satis impartialem esse, si is, qui decretum impugnatum coram Collegio Iudicum tulit, in eodem adsit et quidem munere Ponentis fungatur. Qua instantia perpensa, Em.mus Tauran, quamvis haudquaquam antea relate ad ipsum meritum causae

mentem pandisset, maluit sese abstinere et ab Exc. mo F. Coccopalmerio in Collegio Iudicum substitutus est. Sedulo notandum est in casu actum non esse de recusatione sensu tecnico, quae iuxta responsum Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis diei 1 iulii 1976 ipsi Summo Pontifici deferenda est (cf. AAS 68 [1976] 635). Nova constitutione Collegii iudicantis die 25 aprilis 2007 notificata, Exc. mus Administrator Ilerdensis, litteris die 26 aprilis 2007 datis sed tantum per facsimile vespere diei sequentis ad Cl.mum suum Patronum transmissis, instituit ut Em.mus Cardinalis Praefectus munere Ponentis non fungatur, quia «in causa de qua supra mentem suam iam pandit». Ideoque ipse Exc.mus Administrator Ilerdensis Cl.mo suo Patrono mandatum dedit ut hic «recurra a quien corresponda, y si fuera el caso, al Santo

3

Padre, como Supremo Juzgador de la Iglesia, en nombre de esta Diócesis». Quo factum est ut idem Cl.mus Patronus paulo ante sessionem Collegii iudicantis habendam, id est mane diei 28 aprilis, exhibuerit instantiam «ut, dilata sessione causae, loco Em.mi Praefecti, alius iudex subrogetur, et subordinate, ut quaestio ad Sanctissimum deferatur». Res statim per Exc.mum Substitutum Secretariae Status ad Summum Pontificem delata est, qui instantiam recusationis reiecit. Qua responsione recepta, Infrascripti Iudices tuto ad causam pertractandam procedere poterant, prorsus remoto quovis periculo rescissionis decisionis ex can. 1451, § 2.

II. In Iure et In Facto

6. In primis, quaedam dicenda sunt de relatione inter Congressum, in quo ad solum Card. Praefectum spectat decisiones ferre, et Collegium iudicans H.S.T., cui praesidet idem Praefectus. Sectione altera huius Supremi Tribunalis a Paulo VI, f.m., constituta, Collegium Iudicum in una Romana die 28 iulii 1970 expresse edixit quod eius ratio procedendi «inducere nequit ad formaliter distinguendos gradus iurisdictionis in eodem Supremo Tribunali Signaturae aut ad instituendam similitudinem cum peculiari turnorum ordinatione in S. Romana Rota. Si vestigia quaedam analogiae... inquirere vellemus cum ratione procedendi S. R. Rotae, eadem invenirentur in art. 83, 96, 104, 169 § 1, 170 § 2, 181 Regularum eiusdem S. R. Rotae a. 1934, in quibus contra decretum Ponentis datur recursus ad turnum iudicantem.... Aliis verbis, ut habeatur oeconomia processualis, quam postulat «peculiaris brevitatis» processus, ut dicit articulus 126 Normarum Specialium, haud necessarium videtur... Collegium Iudicans configurare ad modum «tribunalis superioris relate ad Congressum... Quod etiam ex eo confirmatur quod Cardinalis Praefectus praesidet tum Congressui tum Collegio iudicanti» (Apollinaris 46 (1973) 309- 311). Ad rem quoque animadvertendum est Iudices H.S.T. ordinarie ad normam art. 1, § 3 Normarum Specialium causas per collegia quinque Iudicum definire. Quibus dictis, patet legitimitas facti quod Praefectus Collegio Iudicum praeest et munere Ponentis fungitur, non solum quando causa ab eo ad disceptationem admissa est, verum etiam quando datur recursus adversus decretum quo idem Praefectus in Congressu eam ad disceptationem coram Collegio Iudicum non admisit.

7. In recursu ad Collegium Patrum Exc.mus Recurrens eiusque ultimus Cl.mus Patronus fere ex integro argumenta iam antea exhibita rursus proponunt, excepta quaestione prima vice agitata — quam infra

tractabimus — de bonis pertinentibus ad paroecias a dioecesi Ilerdensi ad dioecesim Barbastrensem-Montisonensem anno 1955 translatas.

A. De praesumptione generali depositi in casu.

8. Argumentum princeps quoad assertam violationem legis in decernendo, quo tum recursus hierarchicus coram Congregatione pro Episcopis tum memorialia a Cl.mis partis recurrentis Patronis ante N.S.T. exhibita hac in causa nituntur, respicit negationem praesumptionis generalis depositi, utpote in decreto Exc.mi Nuntii Apostolici in Hispania diei 29 iunii 1998 in casu statuta: «Que el patrimonio artístico procedente de las parroquias desmembradas, y que se encuentra actualmente en Lleida, está a título de depósito y no de propiedad, mientras la diócesis de Lleida no pruebe lo contrario en cada caso; por lo que, de ser reclamado por sus legítimos propietarios, debe devolverse». Censemus hoc argumentum iterum atque iterum prolatum acceptari non posse, cum iam diu adversus illam praesumptionem non amplius detur impugnatio. Quaedam tamen ad rem acclarandam opportune dicenda sunt.

4

9. Uti scimus, «praesumptio est conclusio rationabilis de veritate rei dubiae deducta ex indiciis plerumque vel frequenter connexis cum veritate rei» (F.X. Wernz, *Ius decretalium*, V, n. 654, p. 493). Indicia de veritate oriuntur et formantur ex signis in cognitionem rei dubiae inducentibus. Praesumptio habetur si ex circumstantiis (indiciis) veritas verisimiliter seu saltem indirecte et mediate inducitur, sed tollitur qualibet contraria probatione, iuxta axioma: «praesumptio veritati cedere debet». Si quaestio serene examinatur, inde a relatione a Cornmissione peritorum die 4 decembris 1997 redacta usque ad decretum ab Excmo Nuntio Apostolico die 29 iunii 1998 latum, violatio legis non sustinetur. Quae relatio enim, prae oculis habitis omnibus possibilibus titulis iuridicis quibus bona in museo Ilerdensi inveniebantur, pro praesumptione tituli depositi in favorem paroeciarum dismembratarum opportune conclusit, quia «[e]n rigor jurídico [...] la carga de la prueba pesa sobre la diócesis, no sobre las parroquias, de las que se debe «presumir», mientras no se pruebe lo contrario, que obraron conforme a derecho y mantuvieron su propiedad» (Informe sobre el contencioso entre las Diócesis de Lleida y Barbastro-Monzón, 4 de diciembre de 1997, p. 9-10).

10. Cl.mus autem partis recurrentis Patronus, quoad ipsam praesumptionem depositi contendit quod in Congressu N.S.T. «duae decisiones [...] contradictoriae » prolatae essent, cum decretum diei 23 aprilis 2001 affirmaret quod «Nuntius Apostolicus in casu tantum proposuit principium omnino generale, cuius ratio executionis non indiscriminatim intelligenda est», dum contra impugnatum Congressus decretum declararet: «Cauto quod non agitur de praesumptione quadam generali, sed de decisione peculiari in controversia inter dioeceses». Si satis cernimus, nulla contradictio invenitur. Non agitur enim de praesumptione generali absolute statuta pro omnibus controversiis de bonorum proprietate, sed tantum pro hac controversia, ideoque praesumptio «peculiaris» dici potest utpote hanc peculiarem controversiam respiciens, sed nihilominus, si casus prae oculis habetur, recte etiam «generalis» dici potest, eo sensu quod principium generale hac in controversia statuitur circa proprietatem omnium artis operum, de quibus in casu. Agitur, ceterum, de praesumptione quae veritati cedere debet et reapse dioecesi Ilerdensi agnitum

est ius quascumque probationes afferendi ad suum dominium in res, de quibus agitur, demonstrandum. Ipse quoque Cl.mus Patronus hoc principium explicite recognoscit in suo memoriali, ubi admittit quod: «Praesumptio depositi applicari potuerit solummodo postquam Dioecesis proprietatem demonstrare nequiverit».

11. Neque argumentationem Cl.mi Patroni sustineri posse opinamur de asserta contradictione circa praesumptionem depositi, de qua in decretis Congressus diei 27 iunii 2002 et diei 27 septembris 2006. In primo decreto, enim, legitimitati praesumptionis depositi negatur condicio rei iudicatae, utpote extra impugnati H.S.T. decreti obiectum, ac proinde reiciebatur in casu conatus eandem impugnandi per restitutionem in integrum, nam in casu impugnabatur decretum H.S.T. diei 23 aprilis 2001, quod haudquaquam egerat de legitimate illius praesumptionis, utpote ab ipso Exc.mo Episcopo Ilerdensi admissa, sed tantum de eius assertione iuxta quam nihilominus bona a legitimis proprietariis requisita eis non essent restituenda; altero vero decreto firmitas legitimitatis praesumptionis per actum administrativum statutae merito recognita est, quia remedia iuris ad eam submovendam non amplius dantur. Nulla ergo habetur contradictio inter utrumque decretum.

12. In suo memoriali diei 18 decembris 2006 Cl.mus Exc.mi Recurrentis Patronus, memorans quasdam declarationes Exc.mi Ramón Malla, qui tunc erat Episcopus Ilerdensis, circa praesumptionem depositi, asseruit: «Revera, declarationes, spe ut lis inter sorores ecclesias componeretur prolatae sunt sed nec simpliciter nec definitive at sub condicione et dubitative»; benevolens Episcopus enim pronus erat proprietatem interea tribuere paroeciis consentientibus ut bona contenta manerent «integradas definitivamente en el Museo Diocesano de Lleida»; ex quo proprietas

5

paroeciarum dubitative modo agn[i]ta est». Perrexit Cl.mus Patronus eundem Exc.mum Episcopum iam litteris diei 26 iunii 1995 proprietatem omnium bonorum, saltem ex titulo praescriptionis, ita affirmavisse: «En muy pocos casos se trata de bienes depositados solamente en custodia, para conservarlos mejor. De ahí que, me permita pedir que en este tema se acuda al instituto jurídico de la prescripción, u otra fórmula, que zanjara de raíz cualquier posible polémica o discusión sobre este punto». Et Cl.mus Patronus tandem conclusit, quaerens qua de causa Exc.mus Nuntius, si «praedictae declarationes vim definitivam vel probatoriam habebant», decreverit «ultimam praesumptionem depositi nisi ut methodologiam?». Cui argumentationi adhaerere nequimus. Re quidem vera:

– Exc.mus Episcopus istis aliisque suis declarationibus legitimatam praesumptionis parvipendere conatus est, sed ipse Praesul tempore non suspecto iam in scriptis «alegaciones de la Diócesis de Lleida» ad Exc.mum Nuntium Apostolicum mense februario 1997 datis, affirmaverat: «[L]as piezas procedentes de la Parroquias sitas en el territorio de Aragón, entregadas en su día para el Museo, pertenecen en propiedad a las Parroquias de origen, a no ser que constare claramente lo contrario, y por lo mismo deben considerarse como confiadas al museo tan sólo en depósito». Iterum in adnotationibus ad relationem Commissionis eidem Exc.mo Nuntio Apostolico diei 30 decembris 1997 oblatis, i.e. sex mensibus ante decretum diei 29 iunii 1998, relate ad quaestionem proprietatis, ipse Exc.mus Praesul denuo suam mentem aperte confirmavit: «La Diócesis de Lérida admite que, jurídicamente, no puede alegar derecho de propiedad

sobre las piezas integradas en el Museo Diocesano, procedentes de las Parroquias segregadas de la Diócesis y agregadas a la Diócesis de Barbastro». Quae declarationes «sub condicione et dubitative» prolatae haudquaquam videntur. Ideoque institutum praesumptionis, post discussiones inter peritos per annos extensas, iter aperuit in favorem paroeciarum translatarum ad Dioecesim Barbastrensem-Montisonensem ad legitime, si et quatenus, vindicandam proprietatem singulorum bonorum.

– Prae oculis habita historia incrementoque illius Musei Ilerdensis, ipsi multiplices tituli iuridici quibus istiusmodi bona in eo inveniri possint (ex. g. titulo proprietatis ex emptione-venditione, proprietatis propter paroeciarum extinctione, donationis vel occupationis) peropportune titulum iuridicum praesumptionis depositi uti aequitati magis consentaneum suggererunt.

– Uti scitum est, inter praesumptionem depositi et praescriptionem acquisitivam incompatibilitas datur. Ideoque recte tenet decretum impugnatum principium praescriptionis in casu applicari non posse, quia ex ipsis verbis et intentione ab Exc.mo Malla clare manifestata affirmari nequit elementum necessarium ad praescriptionem vindicandam, i.d. ignorantia circa titulum depositi.

13. Aliud argumentum, exhibitum ab Exc.mo Episcopo Ilerdensi eiusque cl.mo Patrono ad statuendam contra praesumptionem depositi proprietatem bonorum, de quibus agitur, in favorem Dioecesis Ilerdensis, demonstrare conatur illa bona non fuisse «pretiosa», adeo ut eorum alienatio Sanctae Sedis licentia non indigeret. Exc.mus enim Recurrens contendit quod «sólo el valor económico era el que por entonces (finales del s. XIX), atribuía carácter precioso a las cosas». Motivum adducit quod «[e]stá acreditado por hechos documentalmente probados que las obras que adquirió el Obispo Meseguer, no solo estaban fuera del uso cultural, litúrgico y devocional de los fieles sino que se encontraban en un lamentable estado de abandono y deterioro al albur de la incuria del tiempo y de coleccionistas sin escrúpulos. [...] Por consiguiente [...] se hace manifiesto que el Valor de las obras era nulo o exiguo». Argumentationem vero Exc.mi Recurrentis sustineri non posse et rationes in decreto impugnato expositas tenendas esse opinamur. Etenim:

– Quidquid est de diversis hac de re sententiis canonistarum ante Codicem anno 1917 promulgatum, haud deficiebant tunc praeclarí canonistae qui tenebant res esse pretiosas non solum

6

ratione quantitatis valoris oeconomici sed etiam alia ratione, scilicet ob earum notabilem valorem v.g. culturalem, historicum, archeologicum, vel ratione materiae, etc., praetermissa earum aestimatione per pretium pecuniarium.

– Exc.mus D.nus J. Meseguer Costa, Musei Fundator, qui bona, de quibus agitur, collegit ad Seminarii tirones ad artem educandos, plane sciebat valorem bonorum, et si collegit bona, quae «se encontraban en un lamentable estado de abandono y deterioro al albur de la incuria del tiempo y de coleccionistas sin escrúpulos», hoc fecit ratione eorum valoris obiectivi, culturalis, historici, materiae qua confecta erant, i.e. pretiositatis ipsorum bonorum causa. Exc.mus Praesul enim, vir perspicuus, mentem suam hoc sensu dilucide aperuit: «Lo que queremos sea el museo, ya lo hemos dicho: un medio auxiliar para la cátedra de Arqueología Sagrada, a fin de que los alumnos del Seminario sepan conocer y distinguir los objetos de mérito de los que no lo tienen» (Boletín Oficial Eclesiástico del Obispado de Lérida 5 [1895] 316). Decretum impugnatum propterea recte concludit: «[P]raesumptio, proinde, stat pro bonis «de merito»», i.e. pretiosis.

– Neque obici potest, sicut affirmat Exc.mus Recurrens, quod «valor de las obras era nulo o exiguo», quodque ipsae ideo non fuissent praesumendae res pretiosae et consequenter licentia Sanctae Sedis pro earumdem alienatione necessaria non fuisset. Praetermissa salebrosa quaestione in iure relate ad determinationem notabilis valoris alicuius rei ante Codicem pianum-benedictinum, quaestio in facto solvenda erat. Ut recte affirmat impugnatum decretum, «dioecesi Ilerdensi onus incumbibat probandi nullum vel exiguum pretium in quibusdam casibus exstitisse; qua probatione non allata, bonum praesumendum est res pretiosa». Praeterea probatio nullius vel exigui valoris singulorum bonorum haud plane haurienda est ex pretio vel permutatione vel donatione, sed obiective aut a peritis in re ponderanda est. Ita etiam status derelictionis, in quo persaepe haec bona habebantur, haud indicat eorum exiguum vel nullum valorem, sed potius negligentiam custodiae. Non probata exiguitate valoris, obiectio Exc.mi Recurrentis cadit. – Instat Cl.mus Patronus illa opera artis periisse si ab Exc.mo Meseseguer collecta in museo non fuissent, quam ob rem in casu alienatio bonorum ordinariae administrationis actui aequanda fuisset et non requisivisset licentiam Sanctae Sedis. Censemus contra opera artis, ut v.g. imagines fictas, statuas, simulacra, et alia huiusmodi, non modo per alienationem servari posse, verum etiam v.g. per depositum; utcumque retinemus alienationem in casu ordinariae administrationi actui non esse aequandam. Ideoque probari nequit bona, de quibus, non fuisse pretiosa atque licentiam Sanctae Sedis ad eadem alienanda non fuisse necessariam.

14. At Exc.mus Praesul reliquum motivum adducit ad ipsam necessitatem licentiae Sanctae Sedis infirmendam. Ipse tenet quod «la Decretal Ambitosae cupiditati [...] y los comentarios de la doctrina concluyen que la prohibición de enajenaciones era tan sólo entre entes eclesiásticos y no eclesiásticos con la prudente y sensata finalidad de que la Iglesia no perdiera patrimonio en condiciones perjudiciales». Verumtamen res aliter se habet. Si revera adfuerunt auctores qui alienationes bonorum pretiosorum inter personas iuridicas ecclesiasticas sine licentia Sanctae Sedis validas habendas esse tenebant, adfuerunt etiam alii, et quidem Auctores magni nominis, in decreto impugnato memorati, qui Constitutionem Ambitosae in casu viguisse arbitrabantur. Cui alteri sententiae Infrascripti patrocinantur, prae oculis habita quoque potiore regula iuris «ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus». Brevitatis causa, relate ad cetera argumenta ex doctrina auctorum a Cl.mo partis recurrentis Patrono adducta, quibus contenditur dubium iuris adfuisse utrum licentia Sanctae Sedis pro

7

alienationibus inter personas iuridicas ecclesiasticas requireretur, necne, Infrascripti censent citationes a Cl.mo Patrono allatas reapse necessitatem beneplaciti apostolici in casu confirmare. Ratio ergo ab Exc.mo Episcopo Ilerdensi adducta admitti nequit. Ideoque Congregatio pro Episcopis legitime egit, cum deficientibus requisitis quae in alienatione exigebantur, secuta sit statutam praesumptionem depositi.

15. Insequitur Exc.mus Recurrens quod impugnatum decretum «[i]nfringe la normativa aplicable al desconocer que no sólo no ha sido probada la mala fe canónica del Obispo Meseguer, sino que hay prueba documental que acredita su eximía buena fe (cf. Doc. 2-4 de nuestro recurso de octubre de 2005 ante este Alto Tribunal)». Constat inter omnes Exc.mum Recurrentem generalem praesumptionem depositi iterum iterumque transcendere conari. Ideoque ipse protulit omnia bona, quorum dominium per alios titulos

probari nequit, ad dioecesim Ilerdensem pariter pertinuisse per praescriptionem in bona fide Exc.mi Meseguer fundatam. Uti vera scitum est, bona fides est «iudicium, quo quis prudenter existimat sese rem possidere ut suam absque laesione iuris alterius» (F.X. WERNZ, *Ius decretalium*, t. 111, Romae 1901, n. 307; cf. L. FERRARIS, *Prompta bibliotheca*, 1795, t. VII, 287; G. SEBASTIANELLI, *Praelectiones iuris canonici*, 1897, 387). Si quis existimat alienam seu non suam esse rem, quam nihilominus retinet ut suam, habetur mala fides canonica, ideoque deficit praestantior condicio sine qua in iure canonico non existit praescriptio. Recte igitur impugnatum decretum affirmat «quod praescriptio igitur applicari nequit in casibus ubi vigeat praesumptio depositi». Nostro autem in casu ex actis satis probatur Exc.mum Meseguer prudenter existimavisse sese bona, de quibus, iuste possidere ut sua non potuisse. Exc.mus Praesul enim in litteris circularibus diei 20 augusti 1895 declaravit: «Damos las gracias a todos los Sres. Sacerdotes y particulares que nos han favorecido con algún objeto de su propiedad» (*Boletín Oficial Eclesiástico del Obispado de Lérida* 5 [1895] 321); et in litteris circularibus diei 8 novembris 1903 firmavit: «Nadie ignora tampoco, que hemos recogido los restos de la antigüedad en el Museo del Seminario, cuando han sido dignos de figurar en él, dando generalmente alguna cosa a las iglesias, mas bien como un afectuoso recuerdo que como precio de mercadería, porque no es decoroso descender al terreno de los contratos». Quibus praepositis, prudenter excludi potest ignorantia Exc.mi Meseguer circa titulum depositi, qua bona de quibus in museum ingressa sunt. Rebus sic stantibus, nihil Nostra interest de ceteris requisitis ad praescriptionem necessariis.

16. Longe lateque de legitimitate generalis praesumptionis depositi in casu egimus, adeo ut Pars Recurrens tandem aliquando perspiciat sua argumenta contraria non sustineri. Nec praeterea obliviscendum est quod executionis decretum a Congregatione pro Episcopis latum non indiscriminatim applicationem tituli depositi statuit, sed, omnibus concretis circumstantiis quoad singula opera artis recte perpensis servataque debita aequitate, cuncta iura a dioecesi Ilerdensi legitime acquisita recognovit, adeo ut nonnulla concreta bona, de quibus in casu, eidem assignata sint.

B. De reliquis assertis violationibus legis in decernendo

17. In suo recursu ad Collegium H.S.T. Exc.mus F. J. Cíuraneta Aymí contendit etiam impugnatum decretum legem violavisse ex eo quod «infringe la legislación civil aplicable a la posesión en concepto de dueño». Haec autem ratio nullo modo sustineri potest, nam versamur in iure canonico. Decretum impugnatum haud editum est in ordine civili, quam ob rem solummodo ius canonicum applicandum

8

est. Controversia, ceterum, inter dioeceses seu personas publicas canonicas circa bona ecclesiastica ad normam iuris canonici solvenda est.

18. Postremo, examini breviter subicere debemus quaestionem, prima vice agitatam, de bonis pertinentibus paroeciis a dioecesi Ilerdensi ad dioecesim Barbastrensem-Montisonensem distractis anno 1955. Quamvis controversia principalis orta sit circa bona provenientia ex paroeciis recenter a dioecesi Ilerdensi dismembratis, quoad hanc specificam quaestionem prae oculis insequentia tenenda esse censemus:

– Commissio peritorum, quae de re disceptavit ad decretum Exc.mi Nuntii Apostolici diei 29 iunii 1998 apparandum, etiam egit de eiusmodi bonis provenientius e paroeciis anno 1955 dismembratis, quin dioecesis Ilerdensis sese opponeret. Denique, ut controversia tandem aliquando solveretur, Congregatio pro Episcopis impugnatum tulit decretum circa omnia bona controversa. Exc.mus autem Recurrens sero, id est solummodo in recursu contra decretum Congressus, prima vice excepit Exc.mum Nuntium Apostolicum in Hispania de his bonis non egisse.

– Praesumptio depositi ab eodem Exc.mo Nuntio Apostolico suo tempore statuta, utique formaliter non respicit haec bona, sed ex natura rei etiam eis applicanda est, eo vel magis quia dioecesis Ilerdensis nullo modo probavit contrarium. Ad rem praeterea nihil operatur invocata praescriptio eo quod paroeciae, quae haec bona vindicant, iam ab anno 1955 a dioecesi Ilerdensi separatae sunt. Deest enim in iure canonico requisita bona fides in casu depositi. Omnibus perpensis, infrascripti Patres proinde decemunt hoc argumentum reiciendum esse.

19. Quae cum ita sint, de violatione legis in decernendo in casu fieri nequit sermo.

C. De assertis legis violationibus in procedendo

20. Exc.mus Recurrens contendit, in primis, sibi ius defensionis denegatum esse «quia ipsa pars recurrens numquam cognoscere seu contestare potuit nec nomen nec Votum Promotoris Iustitiae H.S.T.» et ideo «ex absentia responsionis Voti sive Promotoris Iustitiae sive Adv.ti Congregationis praesumitur renuntiatio iuri defensionis». Censemus contra haudquaquam adfuisse violationem iuris defensionis, cum in toto itinere huius implexae et salebrosae causae semper Exc.mi Recurrentis ius defensionis per Cl.mos Patronos seu Advocatos-Procuratores ab ipso ex fiducia constitutos salvum tectumque fuerit, sedulo servatis H.S.T. Normis Specialibus. Cl.mo eius Patrono ante Congressum insuper facultas concessa est respondendi, si vellet, ad votum Promotoris Iustitiae ei rite notificatum.

21. Iuxta Exc.mum Recurrentem praeterea violatio legis naturam decisionis in Congressu latae spectaret, eo quod «el Congreso actúa como si fuera un Colegio de jueces», i.e. «entra a juzgar sobre el mérito del recurso, con abundantes argumentos y disquisiciones, lo cual indica claramente que no es manifiesta la carencia de fundamento que afirma en la parte final de su decreto». Memorare autem iuvat art. 116 Normarum Specialium, quibus regitur nostrum Supremum Tribunal, iuxta quem Cardinalis Praefectus in Congressu «decernit utrum recursus admittendus sit ad disceptationem, an reiciendus quia manifeste ipse caret fundamento». Recte igitur animadvertit Promotor Iustitiae argumenta fuisse lateque disceptata nihil inferre circa decisionis Congressus naturam, sed contra diligentiam huius Supremi Tribunalis absentiam fumi bonis iuris recursus solummodo manifestare.

9

22. Cl.mus Patronus adhuc decretum Congressus impugnat eo quod sive Congregatio pro Episcopis sive haec Signatura Apostolica incompetentes essent quoad controversias quae ad iura subiectiva pertinent. «Controversia —ait— circa proprietatem bonorum seu revindicatio proprietatis solvi debet non in ambitu administrativo, seu ad discretionem superioris, decreto particulari expresso, sed in ambitu iudicii

contentiosi». Ratio sane non est ad rem. Recolendum est enim id quod statuit can. 1400, § 2: «Controversiae ortae ex actu potestatis administrativae deferri possunt solummodo ad Superiorem vel ad tribunal administrativum». Et revera controversia inde ab origine viam administrativam ingressa est. Exc.mus ipse Episcopus Ilerdensis Congregationis pro Episcopis ministerium in re invocavit atque dein H.S.T. iurisdictionem adivit. Haud enim obliviscendum est obiectum recursus esse decretum Congregationis pro Episcopis diei 8 septembris 2005, quo haec tandem executioni mandabat decretum ab Exc.mo Nuntio Apostolico in Hispania die 29 iunii 1998 latum. Consequenter obiectum controversiae, de qua N.S.T. cognoscit ad normam art. 123, § 1 Const. Apost. Pastor Bonus, est actus administrativus singularis a Dicasterio pro Episcopis latus, quod competens est sive in materia de finium Ecclesiarum particularium mutatione (cf. art. 76 Const. Apost. Pastor bonus), sive, vi can. 122, de earumdem bonorum patrimonialium destinatione. Plane igitur hoc motivum Nobis congruum visum est ad recognoscendam tum competentiam Congregationi pro Episcopis lege tributam, quae quaestiones de iuribus s.d. subiectivis haud excludit, tum Signaturae Apostolicae lege tributam ad cognoscendas controversias ex actibus administrativis singularibus ortas atque ad eam delatas etiam de iuribus, verbi gratia, in divisione bonorum.

23. Rationes ergo ab Exc.mo Recurrente eiusque Cl.mo Patrono quoad assertas violaciones legis in procedendo adductae admitti nequeunt.

III. Conclusio

24. Omnibus sive in iure sive in facto aequè rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum decreverunt ideoque facto respondent: Negative, seu decretum H.S.T. in Congressu diei 27 septembris 2006 latum non esse reformandum.

Retineatur cautio pro expensis processualibus ab Exc.mo Episcopo Ilerdensi in arca H.S.T. deposita. Idem Exc.mus Praesul suo Cl.mo Patrono congruum solvat honorarium. Quoad honorarium vero Rev.mo partis resistentis Patrono solvendum, iam satis provisum in impugnato Congressus decreto.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hoc Nostrum definitivum decretum executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 28 aprilis 2007.

Augustinus Card. VALLINI, Praefectus et Ponens Zeno Card. GROCHOLEWSKI + Iosephus MERCIECA + Franciscus COCCOPALMERIO + Henricus MUSSINGHOFF

Notificetur. Die 23 iunii 2007. +Velasius DE PAOLIS, c.s., Secretarius PAULUS MALECHA, Vices Praepositi Cancellariae gerens